nostram Regiam Famatum Joannem Biekarsky et Hedvigim Skulanka coniuges quibus securitatis causa Salvum conductum nostrum Regium a vi et potentia omnium personarum iurisdictioni civili Leopoliensi subiectarum et praecipue Magistratus civilis Leopoliensis ad spacium sex Mensium concessimus concedimusque literis hisce nostris quibus freti tuto et secure ac sine pertimescentia quarumvis personarum in Regno et dominijs nostris versari negotiaque sua licita et honesta tractare possint personis rebusque ipsorum omnibus salvis ita tamen ut omnibus de se conquerentibus in foro suo competenti respondeant et sese pacate contra omnes gerant neque rixarum contentionumque occasionem dent et praeterea ut illis a quibus potissimum vim metuunt ad notitiam id officiose deducant et intiment. Quod omnibus quorum interest Magistratibus locorum quorumvis notum esse volumus Mandantes ut requisiti a praefatis coniugibus vel ipsorum mandatarijs has literas salvi conductus nostri publicari praeconisque voce ac ad omnium notitiam deduci curent. Iniungentes omnibus nequid contra praenominatos coniuges per vim attentent sed iure mediante de omnibus contra ipsos cum illis experiantur sub poenis in violatores salvi conductus nostri sancitis. In cuius rei fidem etc.

Prorogatio sublevationis

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quod cum expositum nobis esset nomine nobilis Gasparis Karsznicky cum impetrata a nobis sublevatione bannitionis quae contra illum in officio Castrensi Leopoliensi ad instantiam Instigatoris officij Castrensis Leopoliensis ex delatione nobilis Samuelis Kobylsky in causa civili occasione denegatae remissionis in bona eius hereditaria villas videlicet Mizowiczce et Niebieticze in lucris perlucris ac poenis per actorem in officio Castrensi Leopoliensi obtentae summae quadringentorum florenorum polonicorum iuxta etiam inscriptionem quandam lucratam per citationem vel rescriptum super eandem summam factam obtentam in contumaciam edita et promulgata est non potuisse hoc temporis spacio causam de indebito iuris contra se processu cum parte adversa vel eius cessionario nobili Andrea Gruschinsky ob certa legitimaque impedimenta ad finem suum deducere supplicareturque nobis pro ulteriori eiusdem sublevationis prorogatione. Nos animadversa supplicationis eius aequitate inhaerendo statutis atque legibus Regni nostri bannitionem eandem ulterius hoc est ad spacium a data praesentium computandum prorogandum esse duximus prorogamusque hisce literis nostris. Cuius quidem prorogationis nostrae beneficio ille ad temporis praescripti spacium in Regno et dominijs nostris versari ac coram quibusvis Iudiciorum et officiorum subsellijs comparere causasque suas defendere ac negocia quaevis licita et honesta peragere poterit. Ita tamen ut coeptam de processu causam se

Illegitime causam sine intermissione prosequatur interea tamen rei iudicatae pareat neque executioni ulterius in bonis suis non autem persona sese per se aut submissas personas opponat alioquin ipso facto omne prorogationis eius sibi concessae beneficium amissurus esset executioque in personam etiam ipsius secundum legem praescriptum extenderetur Quod omnibus quorum interest praesertim vero Capitaneis nostris locorum quorumvis notum esse volumus Mandamus ut has prorogationis nostrae literas semel de iure semel in Acta sua Castren inscribi et praeconis voce publicari faciant easque et ipsi observent et ab alijs observari curent secus pro gratia nostra non facturi In cuius rei fidem etc

Contubernium

Sigismundus etc Significamus etc

Oblatas nobis esse nomine totius contubernij sartorum oppidi nostri Wyszogrod literas papyreas sigillo officij consularis Wyszogroden munitas certos articulos ad bonum ordinem contubernij praefati servien in se continen salubres omnique suspicione vacuas, supplicatumque nobis esset ut eas atque adeo praedictos articulos authoritate nostra Regia approbare et confirmare dignaremur earum vero tenor talis erat Actum in Praetorio etc Nos itaque supplicationi praedictae annuentes literas praeinsertas omniaque in eis contenta approbandas et confirmandas esse duximus approbamusque et confirmamus per presentes decernimusque eas vim et robur perpetuae firmitatis habere debere quatenus iuri communi non repugnant.

Privilegium Typographi

Sigismundus etc Significamus etc

Quod cum intellexissemus Famatum N. etc Civem et Typographum N. induxisse in animum ut Promptuarium Statutorum et Constitutionum Regni nostri Quod Generosus Paulus Scerbics Decretorum nostrorum Notarius non sine insigni labore et diligentia confecit in usum nostrorum hominum Typis excuderet Faciendum nobis esse existimavimus ut hoc ipsius propositum non tantum collaudaremus sed etiam promoveremus praesertim quod videremus huiusdem promptuarium hominibus et suas lites habentibus et in foro versantibus Iudiciaque exercentibus non mediocrem utilitatem esse allaturum Itaque praenominato Typographo presentium nostrarum literarum vigore cavemus nequis a tempore edicti et promulgati Promptuarij Statutorum et Constitutionum Regni praeter consensum